

1
 uenum igitur rationibus quid potest accidere utilius, nisi hoc, ut ipsi scholarum magistri de eo solliciti sint, ne disciplinæ alumni in libris nullius fere pretii lectandis tempus operamque consumant. Quod quidem eo magis ipsorum esse iudico, quia, hac ætate cum uel infimi ex plebe libris legendis delectentur, in unoquoque fere oppidulo reperiuntur, qui libellorum, cum hominibus legendi cupidis communicandorum, apparatu uictum quærent. Quotusquisque uero est, quin sciat, eiusmodi librorum collectiones quam sepiissime sine ullo accuratiori dilectu esse coentas, meliorisque notæ libris immixtos esse malos, haud raro pessimos? Facias igitur, iuuenes, literis elegantioribus dicatos, nutrirî se pati istiusmodi pabulis parum salubribus; facias, (& faciendum hoc est, experientia enim clarissime loquitur) iuuenes, Musarum liberalium sacris initiandos, habitare adeo in his illiberalium humani ingenii fetuum domiciliis, quid inde? Deliniuntur ludis scenicis, pascuntur fabulis Milesiis, capiuntur fictionibus amatorîis, inescantur commentariolis ex æuo equestri petitis, æ) cumque id genus alia tractent, a meta, quam in literarum stadio sibi præfixerunt ipsi, quam longissime remota, quid tandem emolumentum ex istiusmodi peruersa libellorum lectione redundabit in mentis uires magis magisque acuendas, quidque, obsecro, hinc inde lucrabitur animus, indefesso studio in melius emendandus? — Quæ quidem omnia simul sumta luculentissime testantur, maximæ adeo esse necessitatis, ut scholarum magistri, alumnorum commodis si nihil habeant prius, de selectiori librorum, in quibus perlegendis hi quidem uersentur, numero cogitent, neque est, quod negem, hac maxime ratione me impulsus fuisse, ut, Subrektoris munere mihi iniuncto, ad eiusmodi societatem cum Gymnasii nostri alumnis constituendam animum appellerem. Iam uero, re omni diu multumque animo agitata, operæ pretium me facturum putauî, si *Lectoribus*, quibus commentatiuncula hæc sub oculos ceciderit, *Humanissimis* hæc duo indicarem; quinam libri ex meo quidem iudicio commendandi uideantur iuuenibus, ad ampliorem literarum cognitionem adspirantibus, et quonam tandem modo utilissimæ huius & maxime necessariæ societatis fundamenta poni commode possint firmissima. Scio equidem, rem omnem esse sane difficillimam, uariisque difficultatibus circumseptam; sed animus bonus sumendus est; euanescent fortasse omnia, quæcunque obiciant sese, impedimenta, atque fingamus, euentum non respondere spei, quam animo me concepissem profiteor, quis demum erit, qui friuola manu mihi eripiat conscientiam, me uoluisse certe saluberrimo hoc consilio ad alumnorum nostrorum literas amplificandas facere, quantulumcunque in mea positum fuerit potestate? Sed dulcissima me tenet spes, fore, ut eadem fors fausta mihi cadat, quam cecidisse lætor β) *Suttingero, Rectori de Lyceo Lubbenensi Meritissimo*, cui quinque abhinc annis contigit, ut disciplinæ eius alumni haud dissimilem societatem, quæ hodie adhuc uiget, inuicem inirent, cuiusque *Viri Celeberrimi*, arctissimo intimæ amicitie uinculo mecum coniuncti, uestigiis, ut aliis in rebus, ita & ea in re, pressius insistere semper studebo.

Agite uero, uideamus, quosnam libros in hunc censum scholasticum referendos iudicem? Temperare mihi non possum, quin initio statim aperte pronuntiem, maxime uituperari a me illorum iuuenum morem, qui, quamquam ad literas colendas animum applicuerint, in studio tamen, quod libris legendis impendunt, ne minimam quidem rationem habeant grauissimi huius, quod ceperunt ipsi, consilii, atque adeo in lectione ipsa non nisi hoc spectare uideantur, ut tempus suauiter transigant, sensibusque uoluptatem afferant. Enimuero eiusmodi legendi ratio haud dedecet quidem mulierculis, sed iure meritoque indecora censetur iuuenibus, literarum studiosis, quia subripit ipsi industriam, in disciplinis seuerioribus ponendam, mentisque uires, ad altiora suscipienda aptas, non acuit, sed hebetat, & hebetatas prorsus inutiles reddit. Suaserim igitur alumnis nostris, ut in libris legendis dulce coniungere semper studeant cum utili, tempusque turpiter neglectum penitusque perditum arbitrentur, quod dederint libris, pleniori cognitionis copiarum comparandæ futuroque ipsorum uitæ generi cognoscendo minime idoneis. His præmunitis, haud difficile fuerit intellectu, quonam tandem lectione iuuenum ingenia subigi malim. Constitui haud incommode possunt uaria librorum, studiosæ iuuentuti grauissimo sermonis pondere commendandorum, genera, neque fortasse me poenitebit nouem illorum constituere. Primo genere illi continentur libri, ex quibus accuratior haurienda est cum religionis in uniuersum,

æ) Nolim tamen *ἑλωταίς* istis annumerari, de quibus hoc, quo uiuimus, anno egit Stæudlinus in continuato libro chronico Schubarti. cfr. num. 50. p. 409. 410. Non ignoro, quæ Vitus Weberus, Schlenkertus alique in commentariolis his conscribendis spectarint; utinam uero hac lectione inuendi se patiantur lectores integerrimo in patriam amore, reduci ad pristinam morum simplicitatem & inflammari ad res eadem uirtute gerendas!!!

β) cfr. Absicht und Einrichtung des bey der Schule zu Lübben errichteten Leseinstituts, 1790. Paulo ante Bættigerus, Lycei Gubenensis Rector, (nunc quidem Gymnasii Vinarientis Director) eiusmodi societatis sese præbuerat auctorem, & nuperrime eadem uestigia legit Brèdenkampius, Subrektor scholæ cathedralis, quæ Bremæ floret. cfr. Magazin für Schulen und Schullehrer, I Bandes II Stück, Bremen 1790. p. 525.